



41

ÆTERNO
adversus
ILLUSTRISSIMUM HEROA
DN. DN.
CAROLUM
L. B. de FRISEN,
Röthav. Cottæ, Geschvvi-
tzii & Rubenæ DYNAST.
POTENTISS. SAX. ELECT.
A Consiliis Sanctior. Proto-Syn. Eccles.
Nec non Supr. Lips. Curiaë

PRÆSIDEM,
Ejusque
MERITA IMMORTALITER MAGNA
DESIDERIO
In Academica Concione
gemebunda litabat
Facultas Theologica Wittebergensis
interprete
JO. FRIDERICO MAYERO,
Doct. & Profess. Theol.



WITTENBERGÆ,
Prælo excudebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.
ANNO c 15 15c LXXXVII.

ET ERNO

adventus

HELISSIMAM HEROA

DN. DN.

CAROLUM

L. B. de FRISSEN

Röthav. Gotta, Gschwa-

xi & Rubens Dynast.

POTENTISS. SA. ELECT.

A Comite Sanchon Proo-Syn. Eccl.

FRISSEN

FRISSEN

FRISSEN

FRISSEN

FRISSEN

FRISSEN

FRISSEN

FRISSEN

FRISSEN

JO. FRISSEN

Doc. & Theol.

FRISSEN

FRISSEN

FRISSEN

FRISSEN





JESU FORTUNANTE !

A Des Academia al-
ma mater ! adeste, qui-
bus ingeniosi luctus mo-
menta constant ! florenti
cingite coronâ parvas MAGNI
FRISII reliquias , componite ad
mœrorem animos , namq; magni
Pignoris jacturam accipietis : in-
duite Vos in admirationem, & si e-
minentissimæ laudes solatia vobis
promittunt, venerationi indulgete.
Utrumq;ve autem

RECTOR MAGNIFICE,

*Patres Amplissimi, Vosq; ceteri Auditores,
prout cujusq;ve dignitas capit, ho-
noratissimi!*

vires meas supergreditur, cum,
quod luctus ipse, in quo tamen to-

tus sum , meam mihi imbecillita-
tem exprobrat , & à disertiore in-
terprete ingeniosè magis optat
declarari; tum, quod tam ingenti-
bus meritis nomen periisse videri
potest , nisi pari facundiâ percen-
seantur. Nimirum illætabile ac du-
rum verbum erat , cum dicerem
CAROLUM FRISIUM oppre-
tuisse, ! quod fanè quo me abripiat
nescio : namqve furentis instar flu-
ctus in scopulum repentè me con-
jicit, atq; illidit, ut nullum fermè hac
in necessitate deprehensum me so-
lamen sustineat , & ægrè constan-
tia afferat laborantem : adeò aspe-
ra hæc & confragosa sunt perva-
denda, ut de planioribus omnibus
propemodum spes omnis depo-
nenda videatur. O irreparabilem
tot maximarum rerum jacturam!
O acerbissimum Tuum **MAGNE**
FRISI obitum ! Hæc tanta clades
quas non excutiet lachrymas ? hæc

tan-

tanta orbitas quibus non questibus ac desiderijs sufficiet causam? Univerſa Saxonia concuſſa confuſaque eſt Tuo obitu: hoc vulnere confoſi ac fauciatī omnes. Nemi- ni non flebilis occidit ille, qui in a- morem ſui ac admirationem vivus omnes trahebat: adeoq; in unius jugulo cuncti ſe feriri ſentiunt. Per quem deinceps loquetur juſtitia, cum per hunc Confiliarium & judi- cem non poteſt amplius? penſine erit aut periclitabitur impoſterum patriæ Salus, quod hic Senator eam non producat amplius aut adſe- rat? quis levabit poſthac fortunas? aut potius, quo monente ac com- mendante Sereniſſ. Princeps cle- mentiæ ſuæ monumenta ſtatuet? Fallor, aut anxie oberrat virtus, ſe- dem ſibi deligere neſcia. Nemo, DIVE HEINRICE relictum à Te, ma- gni Senatoris exemplum Poſteris

B feli-

felicius exprimet quam CAROLUS
Frater fecit: quem pariter gente
nobilem & excellentem virtute, &
magnum peritia, & auctoritate va-
lidum cognovimus: ac ne illud di-
cam, quem porro exemplum PIE-
TAS specimenq; ostendet? quis er-
go inauspicatam rem & miserrimam
omnium esse non duxerit, o-
ptimum maximum Consiliarium
amittere? Tantum meritò omnes
lugemus FRISIUM, in quantum hu-
mani dolor animi intelligi potest.

Si in Potentissimum Principem
reflectamus oculos, quem ille Mi-
nistrum non desiderat. Si Pa-
triam cogitemus, quo illa præsidio
& fulcro & ornamento ac decore
orbata est? Si Ecclesias, quanto di-
vinitus concessio pignore? Si Aca-
demias, quanto Patrono? cuius gra-
tiæ tanquam haut lubrico funda-
mento & nos omnes & famæ & ho-
no-

noris momenta permisimus, feliciter permisimus.

Magna ubiq; trepidatio, magna sollicitudo ubiq; incedit, & tam latè patet hæc calamitas, ut metus omnibus juxta incumbat, funestusque iste casus pariter in omnes expetat, qv curâ Patriæ seriè tanguntur, quæ tamen omnes omnium charitates in se complectitur. In singularem sollicitudinem metumque ancipitem se Patria induit, dum proh dolor! FRISIO in posterum sibi carendum esse per sentiscit, qui ad benè de omni Republ. sperandum signum quasi quoddam sustulerat non modo, sed id quoque effectum dederat, ut commoda quæ publica quæ privata florere quænt quam maximè. Dolet Potentissimus Elector Pater Patriæ, à clavo Reipublicæ sibi ereptum illum Virum, cui tanquam optimo succede-

B 2

re,

re, quolibet arduum plenumq; religionis esset habiturus: siquidem facilius multò esse, secundum dare, quam alterum, omnes pariter intelligunt. Dolet supremum illud sanctiusq; Consilium, quod ablato nostro Heroë saluberrimè plenissimeq; non possint magnæ potestati assistere: quodq; pars ab illa anima sit divulgata, quæ per artus omnes infusa totius corporis agitat molè, dum præsidente huic consilio ipso Principe conjuncto dispensatoq; Numine summa rerum constituitur ac stabilitur publicusq; status universè ordinatur. Lugent Academia, lugent cathedræ, atq; in splendore Musæ sunt, quod & Præses & summum ipse ornamentum Reipubl. literariæ humanis rebus sit exemptus, & quod divinæ Antistites sapientiæ rariores consummatioresq; ad plures quoq; abeant.

Tam

Tam ingeniosa in poenas nostras
divina vindicta est; utinam nos
tam callido vapidoq; pectore, quò
patramus scelera, tam funesta o-
mina admitteremus.

Sed enim hic expensa jacturae
magnitudine verisimum magno-
rum meritorum virtutisque testi-
monium, lachrymas, provocare
debebam. Has me video capessi-
viffe partes, ut luctum accenderem
incitaremque, ut omnes jacentes
prostratosq; ostenderem, ut dolo-
rem moeroremq; omnibus incute-
rem; atq; id sane ut facerem sedulo,
non facillimum erat. Enimverò
erigere jacentes, legem statuere la-
chrymis, compefcere dolorē, vix
ac ne vix quidem sustineo: cum
ipse sim dejectus, atq; eadem ope in-
digeam. Jam verò qui quantusq;
fuerit FRISIUS dicam? Id majus pla-
nè molientis viribus institutum est,

C

cum

cum nec florentissima nec difertis-
sima ingenia qveant. Date, Bea-
tissimi Manes, date mihi hanc ve-
niam! ut, quæ pietas verba fugge-
rit, tanquam animi grati humilli-
meq; observantis signa, vobis dedi-
cem consecremqve. Nunquam
tam squalidæ Musæ nostræ coram
vobis comparerent, nisi Frisianæ
recordatio gratiæ animum adde-
ret. Vobis quoq; Auditores, in-
firmitatē meam fateor ingenuè, &
qua par est observantiâ rogo, ita
de hoc instituto meo arbitremini,
ut magis ad pietatis instinctum
quam iudicium respiciatis, cogitan-
tes me tantorum negotiorum ma-
jestati non assuevisse, quæ in Pane-
gyrici celebrari assolent, atq; non idē
esse, promiscui Auditorii è fugge-
stu applausum prolicere, & litera-
tæ concionis laudem suffragiumq;
emereri. Facite itaq; auscultando,
Au-

Auditores, ut intelligam professione obsequii & pietatis me Vestrum exorasse favorem, atq; hunc sermonem meum Maximi FRISII gloriae destinatum aut laudatum aut certè excusatum fuisse.

Unde autem Orationes meae arcessam initium planè ignoro; adeo turba delectui officit, ut quam alii ex rerum inopia, ego, ex gestorum laudandorumq; copia patiar difficultatem. Quid enim prius, an a vitam illam generis nobilitatem? an a vitam dicam virtutem, per quam vivit vigetq; nobilitas, & quæ maximè confert, quod majores magnos atq; illustres reddidit. At illa sane origo per illustris, si brevitati studuero, multis à me præclaris laudibus privabitur, si autem, utramq; tam paternam quam maternam nobilitatem pertexere ordine, & ire per stirpes singulas velim,

lim , ac recensere earum decora,
tempus necessarium rebus gestis
præripiam ; Quoniam vestigiis
virtutum hujus gentis colligendis,
adeundi Helvetii Rauracique sunt,
ad Myfos nobis provocandum
Variscosq; est, imò penetrandæ nu-
bes, coelorum adyta referanda sunt,
unde nascendi illa fors atq; felicitas
constabit.

Quod si in retro decursa secula
ire & quicquid memoriarum an-
nalianum veterum fides custodit ex-
cutere vacet, manifestum erit, à lon-
ge submotis ætatibus FRISIORUM
nobilitatem perviguisse. Primum
eqvidem in Helvetiis Rauracisq; e-
questri dignitate floruerunt FRISII,
ac deinde cum variis turbis misce-
retur patria , caute eas sibi decli-
nandas censuerunt, atqve in Myfis
nostris Variscisq; fortunarum sua-
rum sedem figere decreverunt.
Huic

Huic novæ patriæ ut se non indecoros Cives probarent, ostenderentq; nihil degenerasse se FRISIORUM gloriâ, illustrib9 facinorib9 gentē nomenque suum ita extulerunt, ut eas nulla facilè gens Virtutibus, excellentia rerum gestarum & opum amplitudine supra haberetur. Hi sunt, quorum præcipue tum permagna æstimata opera fuit, cum FRIDERICUS Marchio-Misniæ fortissim9 atque acerrimus Princeps, diuturnis atque gravissimis bellis, partim iniquitate Patris Impii, partim invidia eorum & avaritia, quorum hiantes cupiditates avitis ejus & fratris bonis iminebant, implicaretur. Hæc ergo familia suis meritis auctoritatē splendoremque generis longe lateque diffudit ac stirpem suam in summa evectam vidit culmina. Non nisi sublimis ortus contingere ali-

D

cui

cui potest qui nascitur ex ea gente,
cujus præjudicatam auctoritatem
vetustas affert, cuius nobilitas eo
augustior videtur, quo antiquior
fuerit, ac quo plures exstiterint,
quorum quilibet magnis suis ma-
joribus sit haud inficianda proles, qui
omnes longo temporum tractu
documentis illustribus probent at-
que custodiant decus illud, quo pri-
mi proauctores meritis suis subni-
xi tanquam nobilissimæ novitatis
Viri inclaruerunt: Ea demum ve-
ra nobilitas est, quam ipsa Virtus
nobilitat; quæ Spiritum ac vim &
efficaciam suam, ac corpus quasi,
magno in Republica Viro tribuit,
cujus tantum speciem quandam
ac superficiem nobilitas adornat,
ut adeo, hæc inchoare, illa absolve-
re, existimetur. **FRISIORUM**
illustres natales capacitas animi &
magnitudo strenuiorisque indu-
striæ

striae nervi comitati sunt, inque iisdem dotes ejusmodi uberrime eluxerunt, quæ in novos homines non temerè cadunt, sed quæ magnis destinantur muneribus, quorum ut tanto conspectior sit dignitas, ipso natalium splendore iis admovendi, uberius illustrantur.

Neq; solum FRISII accepta à Majoribus gloriam industria artibusq; tuiti sunt clarissimis, ut quadringentis abhinc annis, incorrupta dignitate, in his provinciis, eorum steterit nobilitas, (quod sane permagnum est,) sed auxerunt quoq; & in majus sustulerunt, novumq; atq; illustrius lumen quam in priorum titulis fulsit, posteris accenderunt.

Quid Generosius prærogativa BARONUM est? at illum quoq; splendore, familia hæc illustris, per dignitates sibi illatum nunc quoq; possidet, posteaquam ejusmodi in-

fulas ab AUGUSTO delatas, fastigio
suo occœpit circumdare. Gratu-
landum itaqve genti clarissimæ de
tam illustri nobilitate & generosi-
tate: & quam tantum abest, ut
decoxerit atq; perdiderit, ut quo-
que recentiorum temporum hu-
manitate cultior ad omnẽ artium
atq; Musarum elegantiam ita im-
buerit vividam indolem, ut carissi-
ma semper domus Saxonicae pi-
gnora, h. e. capacissimos littera-
rum ac Sapientiaẽ animos creet.
Qvalem & aspiravit CAROLO no-
stro cum ANNO M. DC. XIX. III.
Eid. Maj. AVO CAROLO, qvi in
aula Illustrissimi Ducis Saxonici
Altenburgensi primum adeptus
virtute locum, Magistri domus seu
Mareschalli & intimi Consilarii
munere sumã cum laude defuncto
est: patre HENRICO, at quanto He-
roe! Magni Saxonis in sanctiore
Se.

Senatu Confiliariis, Cancellorum-
que nec non in Supremæ Provo-
cationis curia Præside, & matre CA-
THARINA ex pervetusta Einsidelio-
rum gente ederetur in lucem.

Tam illustri & generosæ stirpi
Carolus noster originem debet:
quanquam non nitatur Majorum
meritis, qui jam in ipsis cunis tam
præclara minitabatur, ut virtutum
ejus splendor, lucem afferre potuif-
set proauctoribus vel obscurissi-
mis: ut nunquam puer, semper
Confiliarius fuerit, fuerit inquam,
& se esse nesciverit.

Talis cum a puero esset, primam
sibi & antiquissimam curam pro-
ponebat castè & sanctè DEUM cole-
re, quo se verè impetraturum con-
fidebat, ut illapso in mentem Pro-
pitii Numinis radio, consiliorum
etiam viæ, veritatis atqve justitiæ
semitis conspicuæ, ipsi paterent,
E qui-

quibus ad divinam gloriam, communemque Patriæ Salutem tenderet. Cogitabat purum integrumque animum nullius non doni cœlestis esse capacem, nulli non muneri idoneum esse eum, qui se Virum piū pariter atque probum exhiberet, quiq; arcanis Divini Numinis commerciis imbueretur. Sed quanta quamque eximia in nostro Heroë fuerit pietas, tam publica quam privata, testatur studium indefessum promovendi adornandi que cultus divini. Publicæ pietatis illa monumenta sunt, quod magnificis sumptibus exaſciatissimi operis templum in Roethavia sua ædificavit, ratus non decere se habitare lautè, nisi eodem loci quoque, gratiosam Numinis præsentiam invitaret. Auspiciis CAROLI Noſtri, Grimmenſis ædificium templi è rudibus suis surrexit, structuræ procura-

ra-

ratione tum temporis mihi divino
quodam instinctu ad reconcinan-
dum propenso demandata. Hoc
modo illibatam animi religionem
DEO probavit FRISIUS templa de-
dicando; sed luculentiùs multò il-
lud, quod animos hominum cupe-
ret esse templa DEO consecratissi-
ma, veræ salvificæq; agnitionis di-
vinissimi Hominis, Humanissimiq;
DEI, Jesu Christi, Salutis Auctoris
locupletissimi, plena. Eo sanè spe-
ctabat suscepta Reformatio, cum
FRISIUS in Comitatu Hennebergi-
co Locum tenens ageret, quæ effe-
ctum est, ut rudiores ejus loci fidei
doctrinæq; Christinnæ elementa
perdiscerent, omnes deniq; FRISIUM
alias ut Præsidem colerent, alias ut
Præfulē venerarentur. Non ine-
ptè gloriosus sum, Auditores, neq;
tamen hæc FRISII nostricomitatis
laus dissimulanda est, quod, quoties

Lipsiæ, Dresdæ, Grimmæ, Rothavia in congressu ad colloquium gratiosè me admittebat, (admittebat autem sæpiùs) toties piissima sua desideria mihi exposuerit, de divinarum rerum scientia infucata-que pietate, ætate hac pietatis perquam sterili, instillanda urgendaq;.

Advolve Te piis FRISII manibus Averfane Episcopo Caraffa! & calumniam deprecare, qua extraxisti Lutheranum nomen, quasi nemo apud nos sit, qui cura propagandæ religionis tangatur: FRISIUS noster id palatina suâ purpura non indignum censebat, cui vel Cochlæus quidam laudem hanc admittiatur, quod idem, ac in pristina reformatione factum, præstiterit, ut lanionum mulieres, divinorum mysteriorum & oraculorum cœlestium cognitione, ipsos, papæi cultus antistites reverendos scilicet
Pa-

Patres exsuperaverint, & nemo
ex vulgo tam vulgaris fuerit, quin
viam salutis juxta cum gnarissimis
calleret. Hoc nomine animis Il-
lustrissimorum Ducum Saxoniae,
Mauritio, Ernesto quoque pio, &
Friderico paternarum virtutum
ex asse Hæredi erat quam comen-
datissimus. Et quid multis com-
memorem ardorem illum in pietatis
exercitio frequentando & fundan-
do haud leviter? Vestram fidem,
Patres, in ordine Theologorum
Collegæ! convenio, Vos luculentis-
simos appello testes: Vos memo-
rare poteritis ultimam hanc salu-
berrimamque Ejus curam fuisse,
quod docet Potentissimi Electoris
novissimum ex summo Synedrio
nobis à FRISIO transmissum rescri-
ptum, de ineundâ in Facultate no-
strâ Theologicâ ratione, quæ com-
modissimè doctrina catechetica

F

ru-

rudioribus instilletur, nomenq; a-
deò Christianum dignè in his pro-
vinciis ubiq; corroboretur. Pri-
vatæ pietatis erat, quod semper à
DEO rerum agendarum caperet
primordia, fortunæq; Ducem DE-
UM poneret, quæ Sapienciam, con-
filiorum gubernatricem, & Patriæ
com̄unis suæq; domus salutem pu-
ris & innocentibus precibus roga-
ret quotidiè, simul ac se lux oculis
ejus ingerebat, quod idem factita-
bat, membra functione atq; curis
Reipublicæ delassata quieti com-
positurus. In divino legendo co-
dice, sibi ipsi lex & judex ultrò exi-
stebat, ut, si ordo lectionis per ne-
gotia ex improvviso interrumpere-
tur, confestim id animadverteret,
pœnasq; à se ipso posceret. Nec
quicquam tandem omittebat eo-
rum, quibus imbecillitatem huma-
nam, (egregii atq; frugiferi cona-
tus

tus nedum effectus incapacem) extollere interveniente DEO, ac vires opesq; adspirante, sanctissimis defecatissimisq; animis convenit. Nec ideò tamen rationes humanas negligebat, favoris ætherei conscius, nec causas seqviores & inferiores adspernabatur, primæ fiducia sublimis.

Hunc in FRISIO amorem, in DEUM resq; divinas comitabatur singularis in quosvis charitas. Namque piæ magnificentia esse ducebat, intercedere casibus, & aliorum occurfare fortunæ, quod ita præstabat, ut non tam velox ejus severitas, quam in omnes pariter intenta & accincta bonitas: ut tristius aliquid temporibus hisce in hac Patria nostra passis, ad remedium salutemq; sufficeret, dum modo FRISIUS sciret, Is enim virtute suâ fideam imitabatur naturam, qua illa

beneficam suam lucem non ita se-
cum habent, ut ambitu suo planè
concludant; ita & ille domi singu-
los charitate complectebatur, & fo-
ris universos obstringebat atq; ex-
hilarabat. Quæ cum ita sint, Au-
ditores, cum Flavio Constantio
Chloro inconcussa de FRISIO quoq;
collectione prædicare possumus,
quòd, quia pius fuerit erga DEUM,
neq; perfidiæ unquam contra DE-
UM Optimum Maximum convin-
ci potuerit, fidem & præstiterit ho-
minibus, maximè eam inviolatam
Principi servaverit. Neq; enim
tot illi delata munera essent gravis-
sima, neq; ipse iisdem tantâ cum
gloriâ fuisset perfunctus, nisi post
pietatem insignem, fidem quoque
luculentissimè omnium probasset.
Ita se comparaverat ille, non ut Ei
in unâ DEI cognitione omnes co-
gitationes ponenti, à Nicephoro
qvo-

quodam montes & speluncæ adju-
dicari possent, sed cum virtute &
pietate Civilem etiam vivendi ra-
tionem edidicerat, & notitiam sibi
comparaverat rerum variarum, ut
populum ad optima ducere, ido-
neus haberetur. Primum itaque
FRISIO aulam intranti cura Came-
ræ demandata est, quam ita exer-
cuit, ut nihil prætermitteret, quod
ad circumdandum sibi præcellen-
tem ejus functionis laudem & glo-
riam pertinere videbat. Deinde
spectatissimam ejus fidem sanctio-
ri idoneam administrationi Prin-
ceps censuit, ideoq; eum inter ami-
cos suos ascivit, quos Imperii sui in-
strumentum constituerat. Ibi con-
silia sua malebat cauta esse cum ra-
tione, quam prospera eventu, qui
neque tamen abesse poterat, cum
prudencia ad flectendam fortu-
nam valeret. Sciebat tutius haberi

G

po-

potentiam Principis cautis quam
acrioribus consiliis, neq; inimicus e-
rat iis, quæ ipse non attulerat. E-
tenim à tantâ prudentiâ præclarè
instructus erat, quanta vix animò
concipitur ab aliis: quam studiis lit-
terarum sibi pepererat, usû rerum
confirmarat, magnitudine gesto-
rum perfecerat. Hâc futura pro-
videbat, præterita emendabat: hâc
velut unicâ rationis exactiorisq;ue
judicii normâ, incerta sagacissimè
conjectabat: hâc præsentia ordina-
bat, dubia perspicacissimè evolve-
bat, ambigua certissimè explica-
bat. Nemo ipso instantia contem-
plabatur acrius feliciusq;, ventura
prolixius, captiosa callidius. Cum
Augustus Imperator Leopoldus
eligeretur, & Octovirorum Patriæ
nostræ præsentiam sanctiones fun-
damentales requirerent, Divus Jo-
annes Georgius Secundus voluit,
ut

ut CAROLUS latus suum clauderet,
& una proficisceretur, qui in eo iti-
nere primarii Comitis partibus non
functus tantum est, sed maximo-
rum quoque Consiliorum adjutor,
Hephæstio alter Principi adfuit.
Mittendus erat Osnabrugam ad
pacem componendam Orator, a-
mandatus FRISIUS est, cujus tantum
profecit auctoritas, ut Palatinatui
superiori restitutam in Ecclesiasti-
cis Civilibusque libertatem concilia-
ret. Neque non poterat felici in re-
bus agendis successu uti, qui matu-
rè tantorum negotiorum adveve-
rat majestati, quandoquidem an-
norum XVI. adolescens Paren-
tem Magnum in Daniam propter
thalamos Augustos missum comi-
tabatur & deinde Legatis Pragam
ad Cæsarem missis se comitem ad-
jungebat. Imponendus erat Præ-
ses Senatui sacro, deligebatur FRI-
G 2 SIUS,

sius, qui Ecclesiarum moderamen
susciperet, & tanquam fulcrum il-
la subiret: Sionis montis gloriam
exæqvabat consilium illud, & Syn-
edrii Magni venerationem haud
obscurè præferebat, quoties Pa-
tres ad statuendum de rerum Ec-
clesiasticarum summa congrega-
bantur. Desiderabatur in supre-
ma Curia Provinciali Judex, advo-
catus FRISIUS est, qui eo in munere
justitiæ monumenta plurima sta-
tueret. Advertebat oculos, & pro-
vidâ severitate cavebat, ne qui jura
migrantes, feriarum laxamenta
animadversionum, vitiorum con-
tentione supplerent. His tam ar-
duis in muneribus gravissima Im-
perii negotia, qua fide ei demanda-
ta, confecit exactissime. Conven-
ta inter Saxoniam Augustam ac
Ducalem ut sancirentur opera ef-
fectum est FRISII. Altenburgici
Du.

Ducatus Successionem, qua super
lis erat exorta, præclare itabilivit,
dissidiaq; inter Serenissimum Ele-
ctore Brandenburgicum & Brun-
svicenses Duces feliciter compo-
suit: Nihil quicquam ex publica
utilitate convelli patiebatur, neque
ut poena cuiquam remitteretur, &
quod optimum eo annitebatur, ut
non Princeps sed leges timerentur,
quin ut & ipsæ propter Principem
diligenterentur, qui rectè faciendi o-
mnibus non tam imponere neces-
sitatem, quam voluntatem mallet
incutere. Nullius ad ipsum iracun-
dia, nullius impietas, nullius furor
confugiebat, quem immotum ubi-
que legibus & virtutibus suis atri-
ctum, cognoverant. Adeò divi-
nior indoles ei obtigerat, cujus est
amare curam: egregius ejus ani-
mus perpetuo gaudebat motu, &
jugi agitatione se vegetabat: pru-
den-

H

den-

tia & quidquid nos homines laborem vocamus, id ejus natura erat.

Vigilantia ejus omnium somnos, ejus labor omnium otium, illius industria omnium delicias, illius occupatio omnium vacationem defendebat. Provisionibus ejus atque consiliis, tutelæ ejus ac curæ salutem, securitatem suam ac statum nemo est, quin & referre velit & debeat.

Enimverò quoniam sufficienti doctrinarum instrumento paratum esse eum ac clarissimarum artium comitatu stipatum esse oportet, qui imperium Principis, infinitis deliberationibus obnoxium moderari velit; audiamus, quanta contentione animi & ingenii divinitate FRISIUS omnes, quæ ad humanitatem artes spectant, sit confectatus. Memorabili elogio merito CAROLUM nostrum Academia nomine idcirco mactat Augustus Buchne-

chnerus in Epistolâ quâdam: Vixi-
sti, scribit, in Academiâ nostra olim
illustri raroq; exemplo aliis, quos
decus natalium comuni eximit for-
ti. Auspicatus in ea felicissimè stu-
dia illa es, quorum tutelam nunc
Tibi comittimus, & quæ Te tandè
in istud collocarunt fastigium,
quod applaudentibus omnib9 non
sine amplissima gloria tenes. Ni-
mirum eo quod eloquentiæ artib9
esset apprimè deditus, huic nostro
Buchnero in deliciis erat FRISIUS,
cum è Daniâ redux Wittebergam
studiorum suorum sedem eligeret.
Cuj9 rei fructum tulit uberrimum,
cum sibi censendum dicendumq;
apud Principem esset, ubi in brevi-
bus Laconum more exemploqve
dictis torqvendis vibrandisqve se
planè incomparabilem ostende-
bat, atq; ita vim animi temperabat,
ita exprimebat sensa verbis, ut &

bul

H 2

offi-

officio faceret satis, & reverentiæ loci rationem haberet, neq; veritatem supprimeret, neq; tamen eam superbè impotenterq; inculcaret. Cognoverat etiam rerum gestarum & memoriæ veteris ordinem, assidueq; historiarum monumenta replicabat, ut inde præterita cum præsentibus conferendo, in futurum rectè consuleret: quæ demum in re verè se confidebat posse mortuis concolorem fieri.

In Jure civili & publico si quid fuit quod nesciverit FRISIUS, id non homini sed scientiæ defuisse arbitrandum est. Ut reliqua adjumenta taceam, quibus ille instructissimus ad summum togæ decus adscendit. Scilicet in homine privato eruditio auri instar est: in FRISIO Viro Per-Illustri, gemæ nobilissimæ instar æstimanda erat. Poterat FRISIO jure optimo quis acclamare il-
lud

Iud Plinianum: Gaude meo, gaude tuo gaude publico nomine, loco studiis datur, & præmium literis. Probè noverat FRISIUS non aliam rē tantā ad parandam prudentiam & disciplinam vitæ proficere, quam cultiorum gentium instituta ac mores: quare consilium peregrinandi capiebat, ut omnia in exteris terris, quæ aut admirationem aut fructum præbent, indagaret curiosè, & observaret peritè, & industriè annotaret: deniq; ut quæcunq; in occasionem eruditionis traheret, apertè autem viva spirantiaq; virorum doctrinā virtuteqve illustrium præmonumentis antiqvis confectaretur simulachra, eorumq; oraculis & consuetudine cum eruditior tum melior ac sapientior ex congressib9 sapientum fieret. Hoc animo Germaniam, Galliam, Italiamqve peragravit, neq; opus habuit, ut à quoquam ad aliquem literas

ras comendatitias expeteret. Verè enim de FRISIO quoque quod Sirmondus de Peireskio prædicavit, affirmare possumus: neq; illum Proxeneta indignuisse, cum ad quoscunque venerit, adeò ex se ipso innotescere & amabilis evadere potuerit.

Apud Græcos Herculem Musagetæ vocabulo consecratum fuisse accepimus; id apud nos meritò dum viveret, audiebat FRISIUS, cujus Herculis nostri virtus semper Musarum vocibus celebranda est, quod Honor Musarum virtute ejus fit vindicatus, & quod se tam liberaliter literatis omnibus impenderit. Rothaviam tuam quotquot accedebant, Beatissime Heros, videbantur sibi ipsum delubrum Apollinis & Musarum introire, (dabis hoc mihi Clarissime Wagenfeili ut illustri Saxonie ornamento hæc tua accomodem:) quibus FRISIUS Pontifex velut aræ asfidens victimas facri-

crificabat, in media virorum eruditissimorum qui Sacerdotes Collegas referebant) quos inter Potentissimos ac Illustrissimos Principes Saxoniae, aliosque viros laude nostra majores, Summum Gersdorffium & Seckendorffium non raro fuisse memini, ipsum cingente corona. Aderat saepius quae Musarum chorum ducere poterat, Gersdorffia, quam si dixero, compendium eruditionis dixero, quoscumque Lipsia eruditione praestantes possidebat viros, in hanc Musarum sedem celebrabant atque frequentabant. Dudum nomen suum immortalitati consecrarunt Bornii, Scherzeri, Rappolti, Carpzovii, Welschii, Bonii, Frankensteini, Thomasi, Alberti, Menkenii, qui omnes illuc comebant, ut famam ex literis inventam, quasi oraculi judicio munirent. Non temere quisquam illa via quae Lipsia Rothayiam ducit, profectus

I 2

est,

est, quin semper Viros doctos aut
accedentes FRISIUM aut discedentes
ab eodem ei obviam facti fuerint.
Putasses regiam ex Oxoniensi ur-
be societatem Rothaviam commi-
grasse. Restat ut de matrimonio
ejus felicissimo quædam dicam,
quod iniit cum Justina Sophia nata
Rabia, ingenti Matronarum deco-
re, ex qua divini favoris pignora su-
scepit CHRISTIANUM AUGUSTUM in
Aulâ Leopoldi Augusti & Sereniss.
Saxonix Elect. senatorem & Inge-
nuæ cathedralis Misnensis Præpo-
situm. CAROLUM Legionis Præ-
fectum sub Potentissimo Dano-
rum Rege; OTTONEM HENRICUM
Potentissimo Saxonix Electori à
Confiliis & Legatum ad Comitiam
Ratisbonensiam.

Inter filias primo recensenda lo-
co est HENRIETTA CATHARINA Illu-
strissimi Dn. Dn. Nicolai à Gerf-
dorff Liberi Baronis, S. Romani Im-
pe.

perii Banderesii & Sereniff. Electo-
ris Principis Ministri Status, & Con-
filiarii intimi, Conjux incompara-
bilis, in qua natura quid in hoc sexu
possit videtur esse experta, quæq;
personam illustrandi seculi meritò
sustinet, sive posterì eam, sub ima-
gine Musæ sive Gratia recolere ve-
lint (sed diutissimè cum divinitus
concesso Ecclesiarum pignore Inæ-
stimabili Coniuge superet rogo)
Est certè illa, Auditores, nostris elo-
giis major, & illud culmen adscen-
dit, quo Rappolti, Scherzeri, Carp-
zovii, Thomafii, Morhofii, lauda-
tissimorum Encomiastarum præ-
conia sigillatim excellentes virtu-
tes referentia, pertingere non po-
tuerunt, nedum ut ego illud asse-
quar. Ab hac altera fuit RACHEL
SOPHIA nupta olim PERILLUSTRI
DNO. JOH. GEORGIO SCHLEINITZIO,
Divo Electori Saxoniae à Consiliis
Secret. Direct. Cam. Com. Cubic.
K Supr-

Supr. rerum Censual. & Provin-
cial. Præfecto Lud. Misenenfis E-
phoro. Sequitur MAGDALENA SY-
BILLA, quæ Viro Per-Illustri GEOR-
GIO RUDOLPHO DE SCHWEINITZ
Lib. Bar. Electori Magno Frid. Wil-
helmo à Consiliis Justit. Sereniss.
PHILIPP. MARCH. BRANDENB. GU-
BERNAT. & Canon. Magdeburg: elo-
cata. Excipit hanc CAROLOTTA natu-
minima quæ adhuc virginalis cho-
ri ornamentum extra conjugium
degit. Quinta jam præiverat, quò
Divus Parens eam nunc quoq; se-
cutus est. Atq; tam illustris nume-
rosa quæve proles Illustrissimis his Pa-
rentibus edita, quæ nihil majus Pa-
triæ potuerunt conferre, quam
quod tales nobis dederunt liberos,
qui pro mortali quodam Parentibus
nacti sunt corpore immortalia fa-
miliæ, omnibus quæve suis, remetiun-
tur, quæ tamen nobilis illustris quæve
gentis longa serie ad se devoluta
comperiunt. In

In his, Beatissime Heros, virtutum Tuarum simulachra resplendent, quarum exemplar ipse præbebas, in domo tua, in Collegiis quibus intereras, in tota Patria, quæ in & in universo orbe terrarum, in quo palabunda latè mœstitia omnes desiderio ejus, qui nunquam sibi, semper omnibus vixit, implevit. Non commitemus, ut memoria Tui injuriæ temporum obnoxiiis saxi atque metallis concredi satis habeat: monumentum ære perennius Tibi Magne FRISI, consecrabitur: Tuam custodient memoriam eruditorum pectora: adeò illibata Tua merita immortaliter magna, inibi conservabuntur, ut nullum marmor candidius puriusve ea recipere queat. Anhelant cathedræ tuum præferre nomen, quod pro fulcro assumunt, cum vivi cura non amplius sustententur. Nullam temporum injuriam Patriæ pietas metuit, quæ

K 2

tuum

tuum nomen in omnium mentibus
obliteratione dispungat. De te pii
omnes, posteri etiam nostri, si qui
futuri sunt, aut meditationem inti-
tuent aut sermonem.

Nulla, nulla certe impofterum
felicitas poterit obtingere tanta
quæ absente FRISIO sincera defeca-
taque censeatur. Si fatorum instet in-
clementia, cujusvis animus in mœ-
rorem lentescat, quod omni præsi-
dio contra incerta fortunæ destitua-
mur. Sive itaque felicia nobis fluant
tempora sive premamur malis FRI-
SIUM, FRISIUM requiremus omnes.
Te enim Magne Heros, DEUS, soli-
dissimum munus, Patriæ felicitati,
ornamento seculi, posteritatis ve-
nerationi est gratificatus.

Nihil autem cum coeteris Magne FRISI commu-
ne habuisti, nisi quod potueris mori, nihil unquam
Principi, Patriæ, Ecclesiæ, cathedræ, ah! contre-
misco! nihil unquam dolendum dedisti, ni-
si quod jamdum vixeris.

DIXI.

RECTOR
 ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,
JOH. ANDREAS
QVENSTEDT,
 SS. THEOL. D. ET PROFESS.
 PUBL. FACULTAT. THEOL. SENIOR,
 CONSISTORII ECCLES. ASSESSOR ET
 TEMPLI OMNIUM SANCTOR.
 PRÆPOSITUS,

CIVIBUS ACADEMICIS
S.P.D.





A Ut fallor, aut repentina vis coorta est, quæ regiam Saxonis perculit, & iratiori fato plenum vitæ fortunæque arbitrium permisit. Spes cum ipso patriæ præsidio concidit, & magnus adeò luctus coepit, miserabilisq; comploratio audita est, ut difficile sit, minuere quodammodo ac levare maximum dolorem. Refugio memoriam acerbissimi temporis, quo omnis prope felicitas cum uno amissa est, cujus auxilium omnes poscebant, cujusq; auctoritatem sine metu & suspicione singuli sequebantur. Quo erepto, divina & humana, sacra & profana omnia perfugium quæerunt, salutisq; suæ præsidem desiderant, in cujus fidem potestatemq; tradita erant. Literæ pariter suam vicem dolent, quas fovebat, ac temporum difficultate afflictas, præsentis ope tuebatur. Cujus benevolentia nulli defuit, & Academiæ præsertim nostrati jucunda & salutaris extitit, adeò ut tanti amor Præsidis in medullis visceribusque Patrum hæreat, neque ego verear, ne hoc officium gratæ posteritati non probetur. Multos arctiore usu sibi conjunxit, multos consilio erexit, liberaliterque ornavit, cunctos diligentiam & fide commendatos dilexit, & ne qua re quis egeret, providit benignè, & constituit sapienter. Fecit demum expertusque omnia est, quæ pro republica

ca

ca potuit, ac nihil vitandi laboris causa defugit, legationes etiam summa cum dignitate obiit, & pacis saepe, ac necessitudinum inter Principes sanctissimarum conciliator fuit. Quæ incredibilis magnitudo animi, & summa agendi peritia, atque incomparabilis conficiendi solertia, omnibus domi forisque perspecta est, & summi in toga herois vivam omnino imaginem præbet. Hæc mihi, & aliis lugendi causa est, quos publicæ, quâ nulla potest esse gravior, jacturæ hujus ratio tangit. Atque tantum utilitatis & gloriæ ad nos redundabat ex Illustrissimo atque Excellentissimo CAROLO à FRIESEN, Dynasta & Herede clientelarum Rothaviæ, Cottæ, Gaschvizii, &c. Potentissimi PR. EL. Saxonis Comite & Consiliario sanctiore, ad tutelam præsidiumque nostrum DEI beneficio diu ac feliciter relicto. Ille enim, quo ad præfuit sacris patriæ consiliis, cum summâ, tum singulari curâ dignitatem ordinis nostri asseruit, ac ut Romanorum ille Quintius, apud Principem deprecator idem defensorque nobis adfuit, & tuendis perinde fortunis, atque retinendis privilegiis sedulam constantemque operam dedit, ac omnia denique Academiae negotia, velut sua peregit ac procuravit, Ennianum Apollinem, optimi consilii auctorem adiutoremque sapientissimum imitatus. Sed majus quiddam in Præside sanctissimo inest, quam verbis exprimere possim, qui consilio

& exemplo præluxit omnibus in vita & usu ver-
fantibus, ac pietate, sanctimoniâ & æqvitate ani-
mi æqvavit gloriam majorum ; illos superavit,
etiam , qui per speciem pietatis agere consveve-
runt. Tandem ab humanis rebus quàm longissi-
mè abductus, incolumi parte optimâ, in suam se-
stationem recepit, animoq; diviniore ex corporis
custodiâ liberato, in æternas sedes migravit, no-
vo & sempiterno inter coelitem proceres hono-
re, ac munere splendidiori in posterum defunctu-
rus. Cujus memoria omnium mentibus impressa
altiùs infixaq; est, ut nemo in coetu nostro repe-
riatur, quin testis & suffragator esse velit. Has in-
usitatas, & summâ admiratione dignas virtutes, publico
Collegii Theologici nomine luculentâ & solenni ora-
tione, pro more suo graviter & egregiè, celebraturus
est Vir summè Reverendus JOANNES FRIDE-
RICUS MAYERUS, *Doctor & Professor Theolo-
gus longè celeberrimus, El. Alumnorum Ephorus multò
gravisimus, & templi omnium sanctorum Præpos. Substi-
tutus meritisimus*, laudes Divi CAROLI, ut publicè
interest, posteris commendaturus. Ad quem audien-
dum omnes, quotquot hic studiorum causâ agitis, Ci-
ves, proximo die Martis in Auditorio Majori instaurato,
quantâ par est religione frequentes conveniatis, & hanc
supremi honoris partem sanctissimo heroi debere vos
existimetis: id quod omninò volumus, & seriò vos hor-
tamur; illud enim referre supervacuum est, quid recita-
turo Collegæ debeatis, qui cum studiis & laboribus Aca-
demiam, tum concionibus pariter ecclesiam quotidie
ornat. PP. Dominicâ XXI. post TRINITATIS
Anno recuperatæ salutis M. DC.
XXCVI.

43 73 2

Als
Bey den Seeligen Eintritt
Des Hoch- Wohlgebohrnen Herrn

Hn. Carl Freyherrns von Griesen/

Auff Köthe/Cotta/Beschwitz ꝛ. ꝛ.

Chur- Fürstlicher Durchl. zu Sachsen /
Hochansehnlichen Aeltesten geheimden Raths/ Ober-
Consistorial Præsidentens und Oberhoff- Richters
in Leipzig ꝛ.

Seines gnädigen Herrns/
Des Landes Jäger

D. Johann Friedrich Mayer/
Prof. und Vice-Propst zu Wittenberg

In Academischer Versammlung
beweinete

ward der Verlust in folgender Ode
erst fürgestellet



Wittenberg/

Druckts Matthäus Henckel/ Univers. Buchdr.
im Jahr Christi 1687.

[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like "Herr", "Gott", "Christ", and "Ihesu"]





Maria:

I.

Straure nun und klage / wer du
bist /

Der es noch guth und treu mit
Sachsen meinet /

Weil Ihm sein Stern und Glanz verloschen
ist /

Von welchen es bisher noch helle schei-
net /

Durch dessen Blicke

Erwünschtes Glücke

Und Seegen auf diß ganze Land ge-
kommen /

Ach! der ist uns benommen!

II.

Insonderheit laß du den Klage-Lohn

Wittenberg / für andern weit erschallen /

Weit deine Zierd' und ungeschäzte Krohn /

Ein grosser Held in Israël gefallen /

M 2

Der

Der Grosse F R I E S E /
Der als ein Riese
Und Atlas dich gestüzet und beschüzet
Und mehr als viel aenüzet.

III.

Diß theure Haupt legt sich nun hin zur Ruh/
Wie könntest du denn noch ermuntert stehen?
Dein Phobus sinckt / und thut die Augen zu/
Was wilstu denn für Licht im finstern se-
hen?

Drum laß mit klagen
Der Nach-Welt sagen/
Was du von dem Verlust vor tieffe Wun-
den
Und Herbeleid empfunden.

IV.

Bitt· aber Gott / daß Er nach seiner Treu
Den harten Riß und schwehren Schaden
heyle /

Und dieses Land bald wiederum erfreu
Mit einer gleich-bewehrten starcken Seule
Daß / was in diesen
Hochseelgen F R I E S E N
Dem Land' und dir und sonst der Welt be-
nommen
Bald wieder möge kommen!

AS(0)SE



41

ÆTERNO

adversus

ILLUSTRISSIMUM HEROA

DN. DN.

CAROLIUM

L. B. de

Röthav. C

tzii & R

POTENT

A Consiliis Sa

Nec n

PRA

MERITA IMM

In Aca

Facultas T

JO. FRIDI

Doct. &

N,

schvvi-

ST.

LECT.

Eccles.

1,

MAGNA

one

gensis

YERO,

col.



Prelo excudebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.
ANNO c13 13c LXXXVII.

26